Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

RENUM ET VESICÆ CALCULO,

QVAM,

AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE

IN HAC PERANTIQVA HIERANA,

GRATIOSE INDULGENTE,

SUB PRÆSIDIO

MAXIME SPECTABILIS DOMINI DECANI,

DN. D. JOHANNIS ANDREÆ FISCHERI,

CONSILIARII ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGUNT. FACULT. MED. SENIORIS, PATHOLOG. ET PRAX. PROF. PUBL. PRIMAR. NEC NON MED. PROVINCIAL. DUCAL. ISENAC.

PATRONI, PROMOTORIS ATQVE HOSPITIS SUI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME ADIPISCENDI,

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISITIONI SUBMITTET

AUTOR ET RESPONDENS

JOACH. GOTTLIEB KLEPPERBEIN

Birnbaumenſis-Polonus,

AD DIEM VIII. MARTII. ANNI MDCCXXI.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS,

HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ,

Typis JOANNIS HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.

15.
16

PRÆFAMEN.

HUmanum Genus maximis adfici cruciatibus doloribusve, omnibus in confeſſo notumque eſt: Quo gravior igitur cauſa, eo majores etiam inde oriuntur dolores, qui non mortales ſolum maxime vexant, ſed ipſam ſæpius etiam mortem illis inferunt. Quod ſi igitur mortales morbis, qui horrendos iſtos dolores atque cruciatus ſecum ferunt, debitis obviam irent remediis, ſæpius hos e medio tollere, vel ad minimum maxime mitigare poſſent. Dolendum vero, perpaucos hominum exiſtere, qui ſciunt, ſi integra adhuc fruantur ſanitate, qualem poſſideant theſaurum. Hinc etiam ſanitatis ſuæ rationem non habent, ſed eam po-

tius negligunt, quam ob cauſam aliter fieri nequit, quam ut in ipſorum corpore ejusmodi generentur morbi. Si vero mortales omnes ſuas conferrent cogitationes in conſiderationem ſanitatis & ſtatus præternaturalis i. e. morboſi, nullus mihi perſvadere poſſum, quin non omnes ſuos intendant nervos in conſervationem theſauri hujus incomparabilis nempe ſanitatis. Illâ enim nil pretioſius atque utilius in toto terrarum orbe exiſtit, & præſtantiâ opes atque divitias longe antecedit, ut ipſe teſtatur ſacer codex. Hoc Ethnici perpenſi, cum ſacrificia celebrarent, nil magis in votis habebant, quam ut ſanitas ipſorum integra conſervaretur. Unde Pirrhus Epirotarum Rex cum immolaret, non niſi pro ſanitate conſervanda precationes effundere ſolebat. Alex. ab Alex, *Lib. 4. cap. 17.* Inter hos igitur morbos dolorificos non ultimum occupat locum calculus Renum & veſicæ, de quo ſequentibus in paginis loco thematis inauguralis non nulla diſſerere animus eſt. Faxit D. T. O. T. M. ut hocce noſtrum inſtitutum in nominis ſui gloriam proximique emolumentum vergat.

Th. I.

Th. I.

CUm igitur noſtra in Diſſertatione de Renum & Veſicæ calculo agere animum induxerimus, in principio ſtatim monemus, nos tantum demonſtraturos eſſe, quomodo generetur calculus tum in renibus tum in Veſica urinaria & quanam ratione ille curari, ægrisque levamen & adjumentum afferri queat. Non enim diſceptabimus cum illis qui calculum l. pro morbo l. ſymptomate vendidant cum nos eum potius hic pro cauſa habeamus morbifica, cujus effectus ſtatus præternaturalis in corpore humano exiſtit.

Th. II.

Expoſita jam inſtituti noſtri ratione, non inconſultum eſſe arbitramur, ſi etiam dicamus quid ſit calculus & quid per eundem intelligatur. Calculus igitur, ſi nomen ſpectes, à græco χάλιξ lapillus vel cæmentum derivatur; ſin rem ipſam conſideres, calculus Renum & veſicæ nihil aliud eſt quam concretum lapidoſum in hiſce viſceribus, a particulis ſalino viſcoſis, deficientibus oleoſis balſamicis & alcalinis, per particulas acidas in ejusmodi ſubſtantiam lapidoſam redactum. Græcis λίθος dicitur ejusque διάθεσις præternaturalis ſive effectus morboſus quem calculus parit λιθίασις ab illis vocatur. Paracelſus huic nomen ludus & duelech attribuit, quod ſemper tali teſſeræ aut cubi forma eruitur, atque calculo humano primariò competit, concretum ex duobus contrariis mutuo coagulatis & arcte junctis ſignificans.

Th. III.

Subſtantia vero hæcce lapidea non in his ſolum, ſed in omnibus humani corporis partibus viſceribusque producitur, uti teſtatur Henricus Rufus in obſ. Lazari Riverii *annex. p. m. 382. obſ. V.* Quin & vel plauſtra obſervationum medicarum á viris clarisſimis, juxtaque fide dignisſimis ſuppeditata adſunt, docentium, quod ſubſtantia calculoſa viſa fuerit in glandula pineali, in gutture, in tonſillis & maxillis, ſub lingua, in naribus, in ſuperciliis, in glandula thymi, valvulis cordis & ramis arteriæ coron. major. adnata, in pericardio, in pulmonibus, in hepate, in veſicula fellea, in ventriculo, in glandula pancreatica, in inteſtinis, inter duplicaturam peritonæi, in aorta, in vena portæ & venis hæmorrhoidalibus, imo in ipſo ſanguine, de quibus aliisq; pluribus L. B. Magnif. & maxime ſpectabilis Dn. Præſidis programma inaugurale huic diſſertationi annexum conſulere poterit, quia de ejusmodi phænomenis expreſſe hic agere noſtri inſtituti non eſt; quin potius de renum & veſicæ calculo hic ſermo inſtituetur.

Th. IV.

Nullo itaque in loco, nullaque in corporis noſtri parte frequentius calculus generatur, quam in renibus & veſica urinaria, utpote quæ viſcera aptiora reliquis ſunt ad producendum hocce concretum lapideum. In renibus enim ſecernitur humor iſte excrementitius urina dictus qui particulis ſalino tartareis & fæculentis imbutus eſt, & ſic eas in ſe continet partes, quæ calculo generando inſervire queunt. Ve-

ſica

ſica autem urinaria eam ob cauſam præ reliquis viſce-ribus calculo obnoxia eſt, quia hic humor excrementitius e renibus mediantibus ureteribus ad illam amandatur & non ſtatim excernitur, ſed tamdiu in illa remanet, donec veſica ita ſit repleta, ut vel mole & copia vel acrimouia ad excretionem ſtimuletur, quæ vero laticis ſeroſi excrementitii ſtagnatio haud parum ad ejusmodi concretiones p. n. confert.

Th. V.

Quod attinet ad mali hujus cauſam radicalem, alias occaſionalem dictam, illam ut plurimum ſuppeditant primæ viæ. Quando enim in illis multæ adſunt cruditates & hæ non eliminantur e corpore noſtro, multaque mortales ingerunt, quæ multas ſecum ferunt particulas ſalino auſteras & viſcoſas, fieri non poteſt, quin etiam chylus his impleatur particulis, quæ una cum chylo ad maſſam ſanguineam amandantur & deinde lege circulationis ſanguinis ad renes & ab his ad veſicam urinariam deferuntur, ubi denique talem induunt lapideam ſubſtantiam. Sæpius in M. etiam ſanguinea fomes hic hæret, præcipue ſi malum ſit hæreditarium, a parentibus in liberos transplantatum; vel ſi a ſcabie, lue venerea aliave hujus farinæ morbis incongrue tractatis aut retropulſis eadem conſpurcata fuerit.

Th. VI.

Ad cauſam efficientem ſecundariam, aliis antecedentem mediatam dictam quod ſpectat, variant opiniones Doctorum, alii hanc alii illam defendentium ſententiam. Inter veteres enim alii ad facultatem lapidiſi-

dificam, alii ad calorem, alii ad ſiccitatem reſpexere. Fernelius *Lib. VI. p. 572.* calorem rejiciens cauſam efficientem in inſita renum arenoſa calculoſaque conſtitutione ponebat. His autem opinionibus jam dudum ab Helmont. *in Tract. de lithiaſi cap. 2. p. m. 676.* & à Poterio aliquo modo *in obſerv. & curat. cap. LXXII. p. 274.* ſatisfactum eſt; & cum hæ opiniones e foro medico jam ſint rejectæ, hinc eas ſicco prætereamus pede. Mittimus etiam illam opinionem, quam ſuo in pectore fovit Rombertus Dodonæus Cæſareus quondam medicus, ſaccharum ſcilicet eſſe facultatem iſtam in renibus lapidificam i. e. cauſam efficientem, cum nec rationi nec experientiæ reſpondeat. vid. hac de re *Lib. IV. Epiſt. medic. Johannis Cratonis a Krafftheim p. 367. & ſeqq.* Nec attingimus ſententiam Helmontii & Paracelſi, quorum ille ex urinoſo ſale, hic vero ex tartaro cruoris atque urinæ generari calculum ſtatuit, & ſubſcribimus potius opinioni & ſententiæ ratione & experientia confirmatæ, quod nempe calculus generetur ex particulis ſalino viſcoſis, quæ deinde mediantibus particulis acidis huc quadrantibus in concretum tale lapidoſum rediguntur. Cauſam vero efficientem primariam, aliis immediatam dictam, quod concernit, eam in prædictarum particularum intra cavitatem renum aut veſicæ congeſtione & ab hac debilitato dictorum viſcerum tono, unde neceſſario ſtagnationes præternaturales, ſecesſiones, præcipitationes & conglutinationes variæ oriuntur, concipimus.

Th. VII.

Adſeruimus ergo materiam calculo ſuppeditare

par-

partes ſalino viſcoſas, principium vero coagulationis ſive concretionis hujus eſſe partes acido-auſteras: Noſtrum itaque erit,ut illud tum experientia tum ratione probemus. Quotidiana vero nos edocet experientia, quod illi, qui calculo laborant, ſemper una cum urina mingant viſcoſas atque terreſtres nunc magis nunc minus lapidoſas particulas, id quod ex inſpectione matulæ, cui hæc materia ſemper adhæret, & ex arenulis quæ in fundo hujus inveniuntur, videre licet. Niſi enim calculus humanus in ſe contineret partes ejusmodi terreſtres ſalino-viſcoſas, tam durum concretum, quale eſt calculus, fieri nequiret, eam potiſſimum ob rationem, quia particulæ acidæ non ejusmodi invenirent ſubjectum, in quod agere & cui firmiter adhærere poſſent. Hoc ex reſolutione chimica etiam patet: quod ſi enim calculus humanus in retortam vitream mundam ponatur, moderatum autem ſubminiſtrare debes ignem, tranſibit ſpiritus acidus, relicto in fundo corpore friabili, quod nihil aliud eſt,quam particulæ terreſtres ſalino viſcoſæ. Tunc ſi huic capiti mortuo reaffundis ſpiritum hunc acidum, eo momento iterum habebis tale concretum, quale antea fuit; certo argumento, quod calculus humanus conſtet ex particulis ſupra nominatis, ex quibus mediantibus particulis ſalino auſteris tale concretum lapidoſum fit. Confer. Magnif. Dn. Vateri *Phyſica experimentalis p. 409.*

Th. VIII.

Contrarium nobis demonſtrant partes alcalinæ, utpote quæ coagulationi reſiſtunt, nec permittunt, ut

concretum quoddam fieri queat. Partes enim alcalinæ longe obtuſiores, laxiores atque ſubtiliores acidis exiſtunt; hæ enim figura acuta atque rigida præditæ, ſimul ac intimius particulis terreſtribus viſcoſis ſunt irretitæ, figuram hamatam acquirunt & coagulant, contrahunt atque conſtringunt. Videmus hoc ſi lacti addatur alcali quoddam e. g. ſal tartari, illud nullo modo in coagulum redigi poteſt: Contra ſi acidum quoddam e. g. Spiritus vitriol. aut ſimile lacti immiſceatur, tunc ſtatim in coagulum abit. Requiritur igitur ut alcalinæ oleoſæ atque balſamicæ partes prius ſuffocentur, quam acidæ vim ſuam exercere & coagulationem condenſationemque talem efficere queant, tum quia alcalinæ coagulationi reſiſtunt, tum etiam quia oleoſæ & balſamicæ partes ſpicula hæc ſalino auſtera & acida deſtruunt.

Th. IX.

Cum igitur particulæ acido auſteræ libere hoc modo in corpore agunt, facili negotio concretum lapidoſum in renibus ac veſica urinaria producere poſſunt; partim enim ob colluviem in his viſceribus particularum ad generationem calculi facientium, partim etiam quia in illis facile reſtitare & ſic augmentum ſuum concretum hocce accipere poteſt. Non nulli in ea quidem ſunt opinione calculum vel plane non, vel tamen rarisſime prima ſua rudimenta in veſica urinaria ponere; quia tamen partes fœculentæ, quæ mediante urina ad veſicam urinariam veniunt non ſtatim excernuntur ſed per aliquot temporis ſpatium in illa morantur, tempus coagulandi has partes

fæcu-

fæculentas particulis acido auſteris relinquitur. Augmentatio autem hæc calculi fit per appoſitionem ſive lamellatim, quod ſi enim veſicæ urinariæ ſectio in cane inſtituatur & in illam fragmentum ligneum intrudatur, vulnusque hoc per ſectionem factum conſolidetur, canis vero poſt aliquot temporis ſpatium rurſus ſecetur, calculus tunc aderit, qui ſi conteratur, in medio nobis in conſpectum veniet ramentum quod antea in veſicam immiſſum erat. Aſſertum noſtrum illuſtrat Borelli *obſ. 62. Cent. II. p. m. 161.* Confer. etiam Boyle *Philoſ. Experiment. p. 39.*

Th. X.

Ad productionem hujus concreti multum conferunt res naturales, deinde ſex ut a Medicis vocantur res non naturales, & denique præternaturales. Quod attinet ad naturales promovet generationem calculi temperamentum ſangvineo melancholicum & phlegmatico - melancholicum. Hinc Thonerus in obſ. ait, melancholicos diſpoſitos eſſe ad calculum, minus bilioſos, quia abundat acidum in illis, in bilioſis autem ſal volatile alcali, deinde etiam ætas ſenilis, ubi digeſtiones non ita ſuccedunt uti in hominibus junioribus. E non naturalibus aër nimis craſſus denſus multisque particulis ſalinis refertus; unde apparet quam ob cauſam homines ad maritima loca vitam degentes calculo aliisque morbis, in quibus præcipue ſalia peccant, obnoxii ſint. Cibi etiam crasſi, muria conditi & fumo indurati, ſaccharata, lacticinia, caſeus, aliaque eſculenta particulas ad generationem calculi facientes augentia: Porro potus craſſus multis particulis acidis refertus, turgidusque. Obſerva-

mus enim, homines in Auſtria, Moravia & Franconia ut plurimum calculo laborare, quia vinum, quod benevola natura in iſtis regionibus producit, multis particulis acido auſteris ſcatet. Aqua deinde multis particulis tophaceis prædita, mortales ad calculi productionem diſponit. Hinc Dolæus in *Encyclop. Medico Dogm. p. 324.* de aqua Caſſellenſi loquens ita ait: Qui noſtram aquam calce & arenulis refertam bibunt ſtatim mingunt arenulas. Nimius etiam ſomnus ut & vigiliæ ad hocce malum haud parum conferunt: ille enim viſciditatem profert, hæ vero digeſtionibus reſiſtunt, quo ipſo particulæ ſalino viſcoſæ proveniunt, alcalinæ vero oleoſæ & balſamicæ ſuffocantur, id quod de nimio motu atque quiete etiam intelligendum. Cumprimis vero excernendorum ſ. n. retentio diuturna ad generationem calculi per multum tribuit, id quod curioſa Helmontii *Cap. II. de Lithiaſi §. 13.* obſervatio confirmat, quando in ſemet calculoſo, poſt retentam, reverentiæ cauſa, cum in gynæceo regio verſaretur, per duodecim horas urinam, ad cujus emisſionem in principio vehementer ſtimulabatur, excrevit urinam tenuem citra omne ſedimentum arenoſum, quod poſtridie demum in lotio ſtatis ut alias vicibus emiſſo, iterum apparuit. Si enim partes ſalino viſcoſæ non rite vel plane non excernuntur, ſed in corpore noſtro remanent, calculo convenientisſimum ſuppeditatur pabulum: Idem efficiunt excretiones, alias conſvetæ, ceſſantes: His annumeranda veniunt Ira & Triſtitia, quibus annectendum nimium veneris exercitium. Denique ex rebus præternaturalibus nobis

bis in conſpectum veniunt viſcera ipſa male conformata, malum hypochondriacum, ſcorbutus, arthritis, utpote qui morbi ſunt conſangvinei calculo, & arthritici ſemper exiſtunt calculoſi, & calculoſi arthritici.

§. XI.

Maxime autem inter ſe variant calculi, tum ratione ſedis, tum conſiſtentiæ, tum etiam ratione complicationum & cauſarum. Quod ad ſedem hujus concreti lapidoſi attinet, vel domicilium ſuum in dextro rene ſolum vel ſiniſtro habet, vel in utroque reperitur. Porro hærent calculi vel in pelvi renum, vel in ipſa ſubſtantia, ubi rurſus vel in nonnullis poris tubulisque ſecretoriis, vel per totam ſubſtantiam diſperſi inveniuntur, qua de re exempla vid. in Tulp. *L. II. Obſ. LXIV.* & Plater. in Obſ. Deinde etiam in ureteribus obſervatur, & quidem vel in principio & parte latiori vel anguſtiori & fine. Veſicæ autem calculus quandoque libere in illa fluctuat, quandoque vero etiam lateribus illius adnatus proprio nonnunquam in volucro a rugis veſicæ orto gaudens, interdum vel circa ſphincterem illius vel in ipſo meatu urinario ſubſiſtit. Quoad conſiſtentiam differunt inter ſe, ubi vel molliores, vel duriores, vel friabiles, vel arenoſi, ſabuloſi & ſpongioſi ſunt; deinde etiam ratione magnitudinis alii exiſtunt parvi, alii magni. Quod ſi vero ſuperficiem ſpectemus, rurſus inter ſe non conveniunt, alii enim habent ſuperficiem acutam, alii obtuſam, alii aſperam, alii lævem. Alii numero ſimplici alii multiplici conſpiciuntur. Porro etiam gaudent colore ru-

bicundo, albo, nigreſcente vel flaveſcente. Rubicundi albicantibus friabiliores cenſentur, imo flaveſcentes, rubicundi & fulvi pro calculo renum, albicantes verò & cinerei pro veſicæ calculo habentur, cujus diſparitatis ratio duplex potisſimum ab autoribus medicis datur, nempe vel bilis tingentis in renibus præſentia, in veſica verò defectus; vel ſangvis renalis per ejus parenchyma diffuſus, qui vero in membranoſa veſicæ ſubſtantia aut deficit, aut ad minimum a glutine mucaginoſo ibidem reperibili, quo minus appareat, involvitur, vid. hac de re Helmont. *l. c.* Deparum differentia inter concreta hæc lapidoſa eſt vel ratione cauſarum, ubi malum hoc vel a diſpoſitione hæreditaria, vel ab erroribus diætæ, vel a morbis in quibus ſalia peccant male curatis & retropulſis provenit, vel ratione complicationum ubi cum ſcorbuto, arthritide, malo hypochondriaco, hydrope, cachexia, debilitate viſcerum aliisque morbis conjunctus eſt calculus.

Th. XII.

Cum igitur de ſubjecto & cauſa radicali, aliis occaſionali dicta, imo de generatione mali hujus ejusdemque cauſis efficientibus tum ſecundaria tum primaria locuti fuerimus, nos ad illud dijudicandum convertimus. Difficilis autem cognitu eſt, cum non ſemper calculus renum adſit, quando ſymptomata, quæ alias ſunt in iſto malo, ſe exerunt, teſte Sydenhamio *p. m. 196.* Id quod de veſicæ calculo etiam obſervandum, vid. Theophili Boneti. *Mercur. compital. Lib. III. p. 65.* Cumprimis autem dolore colico ſæpius ſpecie cal-

calculi renum decipimur. Hinc in dignoſcendo calculo probe ad cauſas attentendum, & ſpeciem doloris & locum affectum unde & ubi ſentitur dolor; ne prius judicium feramus quam rite cognoverimus calculum adeſſe: Sæpe enim etiam peritis medicis contingere poteſt, ut in dijudicando calculo fallantur, vid. hac de re Philipp. Hoëchſtet *Obſ. Dec. VI. Caſ. II. p.m. 679.* Hoc etiam Galenus ſibi ipſi contigiſſe fatetur. *Lib. II. de locis affectis cap. V.*

Th. XIII.

Calculus autem renum cognoſcitur a dolore in regione renum conſtanti, gravativo, pulſante, fixo, præcipue ſentitur corpore inclinato & inter ambulandum & ſtandum. Accedit urinæ ſecretio modò larga, modo parca, nunc ſabuloſa, cruenta, craſſa vel tenuis vel arenulas in ſe continens, quæ ſtatim poſt emisſionem matulæ fundum petunt. Porro multi urinam mingunt cruentam poſt nimium motum vel fortem equitationem; patiuntur etiam vomitus ſymptomaticos vel ſaltim eructationes, prout primæ viæ aut repletæ aut vacuæ exiſtunt. Deinde etiam dijudicatur calculus dextri vel ſiniſtri renis, ſi æger pede lateris affecti in terram alliſo, maximum ſentiat dolorem, qui ob muſculum pſoas, cui ren incumbit, excitatur, plura vid. in Lommii *Obſ. p. m. 183.*

Th. XIV.

Sed cum dolor colicus ſæpius dolorem à calculo excitatum imitetur, opus eſt, ut etiam ſigna ſuppeditemus, quorum ope ſcire posſimus, an dolor colicus adſit vel an calculus illum produxerit. A colico autem

tem diſtinguitur dolore fixo perpetuo affligente, dum dolor colicus potius vagus & intermittens eſt, in colica paſſione laborantibus urina craſſa, in calculoſis vero ſabuloſa cruenta arenulisque referta obſervatur. Porro majus emolumentum atque levamen ægris afferunt in paſſione colica excretiones per alvum & vomitum factæ, quam calculoſis, in quibus vomitiones ſunt ſymptomaticæ, quibusque ſignis accedit ſtupor cruris e directo renis laborantis moleſtisſimus cum omnimoda movendi impotentia vid. *Decker. in not. ad Prax. Barbet. p.* 201.

Th. XV.

Quod ſi autem calculus in cavitatem ureterum ingreſſus ſit dignoſcitur ex dolore per ductum eorum ſe extendente, cum iisdem ſymptomatibus, quæ jam th. XIII. ſunt annotata. Cumprimis autem tunc motus obſervantur ſpasmodici, urina vel deficiens vel etiam ſubſiſtens, tum propter obſtructionem tum propter irritatum genus nervoſum & ex hac irritatione orta ureterum convulſione. Hic calculus in ureteribus contentus, quandoque etiam ſtuporem pedis, premendo nervos muſculi pſoas, producit.

Th. XVI.

In veſicam vero protruſus vel ibidem generatus calculus, ob amplius ſpatium ſibi conceſſum, dolores tunc reſpective mitiores in principio faciens cognoſcitur è dolore gravante in regione pubis, frequenti ſed inani conatu mingendi, ab interceptione urinæ, quæ nonniſi cum ſumma difficultate tandem excernitur, & ſub mixtionis finem gravisſimi percipiuntur dolores. Lotium emiſ-

ſum

ſum quandoq; pallidum, cruentum, quandoque etiam eſt mucoſum, fœtens, & ſedimentum furfuraceum in fundo matulæ apparet, monente *aph. 77. 79. 80. 81. Sect. IV.* accedit teneſmus, erectio genitalium in maribus & pruritus illarum partium moleſtus, hinc infantes calculo laborantes ſemper præputium tangunt, per quem attactum levamen quoddam ſentiunt, ſenſus ponderis decumbentis ſi fiat de latere uno in alterum converſio, melius autem & certius veſicæ calculus mediante digito per anum immiſſo, vel cathetere oleo illito & in veſicam intromiſſo exploratur, de qua operatione. vid. Celeb. Heiſterus *in Chirurg. p. 621.*

Th. XVII.

Cognito hoc modo calculo, prognoſis facienda, quæ ex circumſtantiis ſumenda eſt. Per ſe quidem calculus hominibus mortem non infert; attamen excitando, tum in renibus tum in veſica exulcerationes, inflammationes, iſchuriam, gangrænam tandemque ſphacelum, mortales jugulat: Hinc melius eſt ſi concretum hoc lapidoſum ſimplex obſervetur, pejus vero, ſi cum hic modo dictis ſymptomatis vel aliis morbis conjunctum ſit. Porro craſſa urina tenui præſtat: Per craſſam enim materia peccans expellitur, per tenuem vero nihil de illa excernitur, ſed remanet in corpore eamque ob cauſam urina tenuis imminentem paroxyſmum indicat.

Th. XVIII.

Alias genus fœmininum, maſculino facilius calculo veſicæ curatur, quia meatus urinarius, amplior in illo quam in maribus reperitur, & extractio eo melius fieri poteſt. Renum vero cal-

culus periculoſior veſicæ calculo habetur, præſertim ſi ſit magnus & aſper per totam ſubſtantiam diſperſus, ubi magnus ureteres tranſire nequit, cum nec hic nec ille qui totam ſubſtantiam occupavit neque ſectione exſtirpari poſſit, neque inſtrumentis eo pervenire queamus, ſiquidem hæc operatio, non niſi cum præſenti vitæ diſcrimine inſtitui poteſt, ſive enim inſtituatur in regione lumbari, muſculi dorſales, nervi, arteria magna & vena cava perforanda ſunt, ſive in iliis, diductis utcunque inteſtinis, confluxus ſanguinis in cavitatem abdominis inhiberi nequit. Quapropter locus ille Hippocratis *lib. de intern. affect. Tit. XV.* nonniſi ſpecicialisſime intellectus aſſenſum merebitur, vid. Theoph. Bonet. *l. c. §. 42.* Præterea ſi veſicæ calculus ſit aſper, valde durus & parvus magnum etiam periculum inde expectabitur, conſentiente Herc. Sax. Porro ſi malum hoc liberi à parentibus contraxerint, vix, & ſi inveteratum, difficulter curatur. Si vomitus enormes, convulſiones, aliaque gravia ſymptomata calculo ſuperveniant, malum eventum præſagiunt. Denique in ſenibus difficilius curatu eſt, quam in juvenibus teſte Hipp. *aph. 6. Sect. VI. Renum & veſicæ vitia difficulter curantur.*

Th. XIX.

Nunc ad curam hujus mali nos convertamus, ubi docebimus quomodo mortales ab hoc malo præſervari queant, & quomodo illud, ſi præſens jam ſit, debitis remediis curari debeat.

Th. XX.

Quod igitur ad curam præſervatoriam attinet, in

in id potiſſimum incumbendum, ut corpus ſemper ab impuritatibus immune ſervetur, & ſi particulæ feculentæ ſalino viſcidæ in illo obſerventur, elimentur, & concretioni reſiſtatur. Prius igitur optime bono diætæ regimine abſolvitur, utpote quo impuritates non generari aut dominium in corpore noſtro acquirere poſſunt, hinc omnia ea debent evitari, quæ jam inter cauſas adjuvantes ſunt annotata. Poſterius autem peragitur purgando corpus, purgatio vero hæc ſecundum indicantia vel ſuperius vel inferius debet inſtitui. Præſtat tamen pro ſcopo præſervandi uti potu Thee, utpote blanda ſua amaritudine abſtergente materiamque feculentam mediante urina ejiciente, & grata virtute ſtyptica fibrarum renalium tonum roborante, aut pro ſcopo curativo, tertia vel dimidia pars lactis bubuli, monente Baglivio ad lubricandum addi poterit: Hinc Sinenſes calculum neſciunt, quia infuſum Thee tantum non in quotidiano uſu habent. Huic ſubſtitui poteſt infuſum Thee noſtratis e veronica, hedera terreſtri & radice graminis, quod egregium in hoc paſſu levamen attuliſſe compertum eſt.

Th. XXI.

Cura vero ipſa calculi præſentis ita inſtitui debet, ut ſemper reſpectus habeatur ad dolorem urgentem aut quieſcentem, ſecundum quem duplicem mali ſtatum delectus remediorum ſequentium inſtituatur. Hinc jam indicatio expellendi, jam reſolvendi prævalet, quibus ſequentibus remediis optime ſatis fiet. Nempe reſolvunt & materiam calculi educunt imo &

ipſum calculum, Herb. Cerefol. Saxifrag. petroſelin. Virga aurea, quæ maxime à Celeb. Wedelio in Amœnitat. ſuis mat. med. p. 185. ad drachm. j. in forma pulveris data, tanquam præſentaneum calculi remedium laudatur. Ex radicibus, Radix raphan. ruſtic. filipendulæ, ſaxifrag. Porro Baccæ Juniper. alkekeng. nuclei ceraſorum, perſicorum, lapides cancr., percarum, milleped præparati, ſpir. ſal. & nitr. dulc Juniper. therebinth. laudan. nephrit. Magnific. Dn. Vateri laudan. urin. Michael. & pulvis lithontripticus Rolfinc. Lazarus Riverius *Cent. III. obſ. LXXVII.* refert ſe ex radic. Cardui aſinini. unc. ſem & liquirit. drachm. ij. decocto virum quendam curaſſe, qui ſumpto hoc decocto multos lapillos & arenulas excreverit & poſtmodum per plures annos ab hoc malo liber permanſerit.

Th. XXII.

Caute verò cum pellentibus diureticis inprimis in ſexu potiori procedendum eſt, ne malum augeatur & plus periculi ægro afferatur, quam adjumenti, ſi enim calculus vel renum vel veſicæ reſolvi nequeat ob duram ſuam ſubſtantiam, & diuretica exhibeantur, tunc graviora exinde oriri poſſunt ſymptomata. Hinc Crato *in Epiſt. & Conſil. Med. p. m. 72. lib. II.* in multis etiam, inquit, ab uſu diureticorum plus eſſe periculi à remedio, quam ipſo morbo, plurimis exemplis docemur. Itaque nequaquam judicium medicum præcipitandum aut communibus remediis, etiam quæ aliis profuiſſe videntnr, niſi certa, bona atque firma ratione atque indicatione præeunte.

eunte, fidendum. Non inconſultum etiam eſt, ſi leniter purgantia diureticis præmiſſa fuerint, in paroxyſmo clyſteribus ſolumodo rem peragendo.

Th. XXIII.

His ſubjungenda ſunt Anodyna & Paregorica, vias urinarias laxantia quibus tum dolores demulcentur, tum viæ relaxantur ut calculus ſine offenſione tranſeat. Dolorem autem mitigant materia perlata ſive vulgari modo, ſive ſecretiori Magnif. Dn. Præſidis præparata cum arcano dupl. Laud. opiat. & cinnab. antimonii mixta, eſſentia croci, emulſiones ex ſem. pap. alb. amygd. dulc. nucl. perſicor. cum aqua fragor. & ceraſ. nigr. additis lap. cancr. Mat. perlat. & ſacch. Alth. Vias vero laxant interne, decoctum emolliens Foreſti, oleum amygd. dulc. cum vino malvatico vel per ſe ſumptum, ſperma ceti cum oleo aniſi permiſtum, decoctum hordei cum ficubus vel paſſulis: Externe vero ad hunc ſcopum faciunt clyſteres emollientes, cumprimis autem laudat Crato Clyſterem ex decocto veronicæ cum ſacchar. & parum butyri factum. Obſervandum autem clyſteres in minori præſcribendos eſſe copia, quam in aliis affectibus, ne inteſtina diſtendantur & vicinæ partes affectæ premantur, doloremque exacerbent. Porro balnea & fomenta ex ſtramine fabarum, Herb. parietar. flor. verbaſc. chamomil. & bacc. Junip. inprimis parata, item unguent. & liniment ex unguent. dialth. pingved. human. ol ſcorpion. Lil. alb. melilot. cum tantillo ol. deſtillat. petr. alb. additis pro circum-

ſtantiarum ratione refrigerantibus & nitratis, confe-
cta. Ubi pro cautela practica hoc inſerviet, ut calculo grandiore exiſtente, medicamenta diuretica, patienti balneo inſidenti, adhibeantur.

Th. XXIV.

Denique Chirurgia egregia nobis ſuppedidat remedia, quæ ſæpius multum tribuunt ad curam calculi, quandoque etiam omnem illius paginam abſolvunt: Hoc vero de veſicæ calculo intelligendum, nam ope chirurgica, ut ſuperius dictum, calculus renum vix auferri poteſt. Primum igitur eſt injectio vel in meatum urinarium, vel etiam in ipſam veſicam mediante ol. oliv. & amygdal. dulc. in urethram, vel decoct. veronic. cum mell. roſar. in veſicam facta. Hoc enim egreſſus calculi acceleratur ſabulumque cum muco veſicæ abſtergitur. Si a. calculus urinæ misſionem impediat, tunc cathetere, aut ſi in veſica ipſa hæreat, prudenti ſectione; ubi quidem apparatu magno ſic dicto res inſtituatur, opus eſt, vid. D. D. Heiſter. *Chirurg. p. 626. & 632.* Quod ſi vero calculus nimis magnus, & veſicæ adnatus ſit, imo involucro quodam arcte adhæreat veſicæ, tunc operatio irrita eſt, & magis damnum, quam adjumentum affert.

Th. XXV.

Symptomata vero & morbi, qui a calculo excitantur, quales ſunt, febres, inflammationes, ulcera, vomitus, &c. debitis ſuis remediis curari debent, etſi valde urgeant, eorum cura prius inſtituenda, quam ipſius calculi. Cæterum curioſum valde eſt, lithia-

ſin

ſin poſſe converti in arthritidem, cum egregio ægri levamine, id quod per metaſtaſin materiæ morbificæ, mediantibus balneis frequentibus, inunctionibus calidis, frictionibus, ſinapismis & veſicantibus obtinetur, vid. Saxon. *l. c. c. 36.*

Th. XXVI.

Circa diætam illud obſervandum, ut ægri, tum ea, quæ in cauſis adjuvantibus recenſita ſunt, evitent, tum ea etiam, quæ in cura præſervatoria annotavimus, obſervent. Præcipue vitetur polyphagia, maxime ipſius panis, hujusq; cruſtæ durioris & exuſtæ, tenui utantur cibo & potu & moderato motu, utpote quo calculum curatum fuiſſe refert Poter. *obſ. & curat. Cent. III.* & Riedl. *Lin. Med. 1701. Menſ. Jul.* Id quod tamen potius de ſexu ſequiori intelligendum eſt. Atque hæc in præſentia de gravisſimo hoc affectu attuliſſe ſufficiant, quæ ſi L. B. calculum promereantur, mihi impenſe gratulabor. Cæterum D. T. O. M. pro conceſſa mihi hoc in negotio gratia ſit

LAUS HONOR ET GLORIA.

T A N T U M!

(o)